

et alia, quae in coelo. Nulla enim horum essentia media est sed hae omnes naturales res sunt, et astrologica cum naturalia tractet inter mathematicas non iure reponi praecedente tomo est discussum: sunt coelum et caelestia in ideis, est et in sensibilibus, nulli
 5 medii: quare neque ἀκίνητον, *immobile*, neque κινούμενον, *motum*, neque talis erit optice neque harmonice neque sensus neque animalia intermedia nec medicina nec sanabile nec geodaesia. Quare cum haec non sequantur ad idearum positionem, non est cur eas Aristoteles extimescat.

10 In iis absurdis, quae consequentur ad positionem mathematicum in sensibilibus quae exagitat, quia ad ideas non pertinent, non immorabor, transibo ad caput 6. libri 5. De ente, in quo ita est scriptum:⁷⁵ *Veluti si aliquae sunt substantiae, quorum aliae non sunt substantiae neque naturae aliae priores, quales dicunt ideas esse*
 15 *aliqui, si enim erit aliud ipsum bonum et bono esse et animal et animalii esse et enti et ens, erunt et aliae substantiae et ideae praeter dictas. Sunt quidem ideae vere substantiae atque ita substantiae, ut nullae sint aliae substantiae verae nec priores nec posteriores: hae enim naturales imagines illarum substantiarum sunt, illae vera entia,*
 20 *haec umbrae entium et re vera aliud est, αὐτὸ τὸ ἀγαθόν, αὐτὸ τὸ {ζῶων} ζῶον, αὐτὸ τὸ ὄν, ipsum bonum, ipsum animal, ipsum ens, αὐτῷ ἀγαθῷ εἶναι, τῷ ζῳῷ εἶναι, τῷ ὄντι εἶναι a bono esse, ab animali esse, ab ente esse. Si haec formula definitionem et essentiam horum significat, est enim consueta Aristoteli locutio,*
 25 *si ita capiatur aliud sunt, τὸ ἀγαθόν, bonum, ab ἀγαθῷ εἶναι, a bono esse. Illud idea est hoc naturalis essentia: non tamen sequitur alias ideas praeter illas esse, quae enim argumenti forma haec est, aliud est bonum, aliud bono esse a naturali forma? Ergo aliae ideae praeter illas ideas? Ergo priores substantiae illis? Nullam talem totis Analyticis nos argumentationem docuit. Si τὸ {τι} τί*
 30 *ἦν εἶναι, quod quid erat esse illuc admittatur, et bono esse, non aliud erit, quam bonum ipsum, neque erunt ἀπολελυμένα so-*

⁷⁵ οἷον εἴ τινες εἰσὶν οὐσίαι, ὧν ἕτεραι μὴ εἰσὶν οὐσίαι μηδὲ [μήτε] φύσεις ἕτεραι πρότεροι, οἷας φασὶ τὰς ιδέας εἶναι τινες; εἰ γὰρ ἔσται ἕτερον αὐτὸ τὸ ἀγαθόν καὶ τὸ ἀγαθῷ εἶναι, καὶ ζῳῶν καὶ {τὸ} ζῳῷ <εἶναι>, καὶ τὸ [τῷ] ὄντι καὶ τὸ ὄν, ἔσονται ἄλλαι τε οὐσίαι [καὶ φύσεις] καὶ ιδέαι παρὰ τὰς λεγομένας. [Usp. Aristotel, Metaph 1031a.29 – b.2]